

salarii, quia eo ipso Evathlus primam causam obtinuit. Igitur jam verè competit Protagoræ actio contra Evathlum, nulla amplius exceptione infirmabilis, ne rei judicatæ quidem, quia Evathlus ob exceptionem non peremptoriam, sed dilatoriam non à lite sed instantia est absolutus. Ita æquitas & jus strictum conjungentur, cum in dubio causa Magistrorum favorabilius esse debeat.

## XVII.

Videamus nunc quando duo pluresve in perplexa dispositione se fundant, ipsi incerti, quis eorum jus habeat contra tertium; hi se mutuo perimunt, ut ex fratribus Cadmæis unus *cominus ense ferit, jaculo cadit eminus ipse;* Quo pertinet IX. casus legis 15. & 16. D. de Stat. Hom. Arescusa si tres pepererit testamento jussa est libera esse. Parit primò unum (vel duos) qui haud dubiè servus nascitur, quippe ex serva, conditione non dum impletâ; *deinde tres* (vel duos) ex quibus ultimus erit liber, quippe tribus (uno separatim, duobus cum ultimo) natis conditio impleta est. At *quid si non appareat, quis ultimus fuerit?* cum non appareat, quis quem vincat, nec per rationem juris liberi omnes esse possint, mutuo sibi impudent libertatem. Favore tamen libertatis l. 16. C. de fid. lib. in casu non ab simili determinat omnes liberos fore.

## XVIII.

Pertinent huc quocq; DISPOSITIONES CIRCULARES ex quæ vell incompatibilis, vel identicæ. Incompatibilis species est X. l. 9. D. de V. O. à Cajo duo stipulantur: *Titius, si Sejò non dederis, mihi dare spondes? Sejus: si Titio non dederis mihi dare spondes? Spondeo.* Quo casu non dubio: stricto jure neutrum petere posse. Sed in d.l.9. contrarium respondetur, quia benignius explicatur eorum sententia, quasi voluerint tantum se duos reos credendi constituere in quibus alias ipso jure